

27 3  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,  
De  
**CAUSA FINALI.**

Quam  
Movente & promovente ultimo omnium Fine DEO.  
&  
**Autoritate indultuque Amplis-  
sime Facultatis Philosophicæ,**

In celebratissima Borusforum Academia,  
Sub præsidio

*Viri Eximii, Clarissimi*

**Dn. M. JOHANNIS TROSTII,**  
Revaliâ-Livoni.

Placidæ Doctorum disquisitioni  
submittit

**HERMANNUS PAVFLER,**  
Curotus: Autor & Resp.

*In Auditorio Philosophorum ad diem 23. Aprilis,  
Horis matut. consuetis*

---

**REGIOMONTI,**  
Excusa per Johannem Reusnerum,  
Anno salutis 1653.



ILLUSTRISSIMO & CELSISSIMO  
PRINCIPI ac DOMINO,

DOMINO  
JACOB O,

Curlandiæ, Livoniæ ac Sem-  
galliæ Duci,

*Domino suo Clementissimo*

Offert ac dicat

subjectissimus

Hermannus Pauffer.

---





שש

De

# CAUSA FINALI.

Εἰσοδος.



*Venerabilis Beda, cum axioma 19. ait, Finem esse causam causarum; hoc ipso summam cause finalis præstantiam comprobat & astruit; Quanquam enim certæ considerationis respectu, singule cause cæteris priores nuncupari possint, prout Conimbricenses demonstrant lib. 2. Phys. c. 7. quest. 20. art. 2. nam si vetustas & stabilitas spectetur, causarum prima est materia: Si quidditatis ratio attendatur, forma erit causarum prima salutanda: Si motionis physice conditio, Efficieus causa primo loco ponenda erit: Deniq; si modus excitandi & pelliciendi efficientem ad agendum, Finis inter causas primas sibi vendicat. Nihilominus tamen accuratè & præcisè loquendo, Finis prima omnium causarum esse demonstratur, sat firmis rationibus, cum in Philosophia celebrata dignitas sit: In ordine moventium illud prius est, quod movet nullo modo motum.*

A 2

Præ-



*Præterea quod etiam finis intentio & motio antecedit actionem cause efficientis, dum certâ quâdam ratione ratio objectiva Finalizationis incitat efficientem ad actionem suscipiendam. Ex quibus luce meridianâ clarius elucescit, causam finalem in ratione causandi antecedere omnes reliquas causas. Hujus igitur Cause Finalis pro modulo & ingenii viribus tractationem suscepturi, brevissimis tam quâ quidditatem, quàm quâ varietatem illam sequentibus thesibus adumbrabimus.*

### Thef. I.

**R**iusquam autem dicamus de quidditativa finis ratione, operæ pretium facturi videmur, si paucis ejus existentiam evincamus. Sunt enim, qui eam in rerum natura dari inficias eunt; sed quàm belle, sat luculenter Archiphilosophus noster ostendit. Hic enim omnes causarum species enumerans, Finem, tanquam, quæ quartam constituat speciem, semper recenset, tribusque prioribus connumerat, eò ipsò Finem & esse, & simul veram causam existere, haud obscurè innuens. Quam sanam communis Præceptoris nostri sententiam ipsa ratio, & natura rei confirmat. Quicquid enim causæ nomen sibi vendicat, illud revera ut sit & detur, ipsa requirit necessitas: cum ea demum causa salutari possit, quæ veram causalitatem exercet, adeoque verum influxum importat; Influxus verò à non Ente promanari nequit. Ex quo liquidò constare potest, finem veram causam esse, cum dicat influentiam ad productionem effecti. Estimulat enim, movet & concitat efficientem seu agentem ad producendum aliquod effe-



effectum; imò & desiderium agentis explet. Scheibl. Op. Log. part. 2. c. 6. n. 10. pag. 258. Quæ omnia & singula Finem verè causam esse, egregiè demonstrant. Insuper omnis agens alicujus gratia agit. Ergò & ipse effectus alicujus gratia fiat necessum est, atqui talis effectus pendet ab aliquo, cujus gratia fit, qui est finis: Frustra enim est omne illud, quod non propter finem suscipitur. Unde eleganter acutissimus Jac. Martini disp. Met. 12. q. 1. colligit: Si efficiens alicujus gratia effectum producit, datur causa finalis, à qua pendet talis effectus. At prius stat immotum, attestantibus omnibus ritè Philosophantibus. Omne enim quod est, propter aliud est, excepto solo Deo, propter hunc enim, teste Scaligero Exerc. 250. s. 1. omnia sunt, ipse verò propter nullum. E. & posterius ratum erit. Ex hisce nunc sole meridiano clarius adparet, finem verè causam esse, quibus concessis, de existentia ejusdem haud dubitare possumus.

### Thes. II.

Demonstrata sic existentia finis, ad ejusdem *ὀνομαστικῆς* λογίας progredimur: Dicitur autem finis à Finiendo, quia quasi finit operationem agentis. Nam acquisito fine, cesat omnis operatio. Scheibl. cit. loc. 1. 3. pag. 283. Quamvis Scaligero l. 2. de plant. pag. 317. Finis est à Fiendo. Verba ejus cit. loc. ita habent: Nostra latinâ linguâ vox Finis generationem non abolitionem significat, siquidem à verbo Fio dicta est. Nos tamen, suo cuiq; arbitrio relicto, sonûs ipsius ductum magis sequentes, priorem derivationem amplectimur.

### Thes. III.

Nominis notationem ordine insequitur multiplex ejusdem acceptio. Inprimis autem dupliciter jam capi advertimus. I. enim idem significat, quod extremû. Græcis dicitur *πέρας* & *ἔσχατον*, h. e. terminus seu extremitas, & dicitur  
finis



finis terminationis. Ita extremum punctum in linea vocatur finis lineæ. Et qui in extremo loco sedet, dicitur sedere in fine. Mors dicitur finis s. terminus vitæ. Eodem etiam sensu Horizon dicitur finitor, quia finit vel terminat visum nostrum, ultra horizontem enim visus noster progredi haud potest, ergò ubi eò perventum, subsistendum est. Scheibl. Metaph. l. 1. c. 23. p. 319. 2. Idem est, quod causa finalis; & Latinis dicitur finis causalitatis. Unde & Græcis τὸ τῆ ἔνεκα. Danhaw. in Expl. Termin. Art. 7. p. 28. Et speciali nomine τέλει, ἀπὸ τῆ τέλει, à perficiendo. Inde & finis perfectionis seu determinationis dicitur, Scheibl. Oper. Log. p. 283. Obiit enim fine, perfectio operationi confertur, ut operatio agentis desinat & cesset. Scalig. Exercit. 254. & de plant. p. 317. It. Zabar. in Comment. ad 4. Meteor. p. 987. & 1025. Et ita hoc loco accipitur.

#### Thef. IV.

Excusa ὀνοματολογία seu nominali vocis definitione, πραγματολογία, tradens realem Finis definitionem, expendenda venit. Adfert autem Philosophus lib. 5. Metaphys. c. 2. talem: Finis est, cujus gratiâ res est. Hæc ut communis à plerisque circumfertur, nec sua bonitate seu usu destituitur. Nobis tamen talem tradere libet: Finis est causa externa, propter quam agit efficiens intendendo certum effectum.

#### Thef. V.

Hanc definitionem datam clarius contueri licebit, enucleato genere & differentia specifica. Cognitis enim partibus, totum felicius apprehendi potest. Genus autem ejus, cum rectè sentientium choro statuimus causam. Esse verò finem causam, paulò supra sat firmiter comprobavimus. Hic porrò hæsitanti rationem causæ generaliter sumptæ adjicimus, quæ est principium influens in esse causati. Talis autem causandi modus & fini competit. Influit enim  
in



in esse causati, movendo agentem, ut propter se operationem finiti suscipiat. Ergo causa revera erit, juxta celebre illud Philosophorum; Cui definitio alicujus convenit, ei etiam definitum ipsum. Sed quia hac voce conceptus generalior etiam reliquis causarum speciebus conveniens notatur, ad majorem discriminis evidentiam vocula externi additur, ut hac discerni posset à causis internis, quæ per internam unionem intra rei, quam constituunt, essentiam agunt. Finis autem externè agit; est enim extra causati essentiam constitutus. Et in hoc cum efficiente congruit. Differt autem in eo, quod efficiens à toto composito jam producto sit separabilis; Finis verò à causato perfecto separari nequeat.

#### Thef. VI.

In conceptu definitionis determinante ponitur nota indicativa causam finalem, quæ est, propter quam: Quemadmodum *Ex* est nota characteristicam Materiæ. *A*, vel *Ab*, Efficientis; & *Per* formæ. Sciendum verò, particulam *propter* dupliciter posse considerari. 1. Generaliter, & ita omnem habitudinem causalem designat, & omnibus causis accommodatur, ut videre est apud Aristot. l. 2. Phys. c. 7. ubi ait: Tot esse causas, quot modis respondetur ad questionem propter quid. 2. Specialiter, & tum habitudinem causæ finalis notat, & hæc significatio maximè competit voci *propter*, juxta Scaligerum, qui ait Exercit. 250 sect. 1. Præpositio *propter*, finem significat. Hoc in supeditata definitione etiam attenditur.

#### Thef. VII.

Verba: *propter quam Efficiens agit intendendo certum effectum*; rationem formalem finalizationis exprimunt, utpote cujus actio præcedit actionem agentis. Nimirum bonitas finis apprehensa, statim ac representatur

vo-



voluntati, excitat illam, & ad sui amorem attrahit. Hanc autem attractionem & excitationem, sequitur actualis amor, qui est propria actio ipsius agentis, nempe voluntatis; Nec tantum hoc, sed finis terminat quoque actionem agentis. Hinc fit, ut causalitas finis vel sit ratione Efficientis, ut illum excitet, moveat & exstimulet ad agendum: vel ratione mediorum, ut iis amabilitatem conciliet, modum agendi certum quasi definiat, determinet & ordinem prescribat. Ejus vero influxus nominatur actio Metaphorica. Dicitur autem Metaphorica, non quod sit imaginaria, Phantastica, & ita non vera & realis; sed quia non fit per influxum effectivum, nec per motum intentionalem & animale: Quinimò, quia influxus ille causæ finalis similis est influxui causæ efficientis. Atque ita finis non dicitur per Metaphoram causare (sic enim causa non esset) sed per metaphoram efficere, seu, quod idem est, agere, quia causæ efficienti, in modo causandi quadantenus assimilatur, idcirco hoc non obstat, quo minus vera realis ac propria sit ejus causalitas. Quando igitur finis dicitur movere Metaphoricè, non excluditur causandi realitas, sed solum ponitur discrimen inter causalitatem finis, & efficientis, eò quod Efficientis causalitas longè æquiori jure videatur realis, & realiter attingens effectum, quàm finis, quæ propterea Metaphorica dicitur, quod solum attingat productionem effectus alliciendo & excitando agens, ut prorumpat in actum. Præterea hoc speciale est causæ finali, quod causet non in esse actuali, sed in esse reali possibili; In esse enim actuali, est effectus: in esse vero possibili, nondum est effectus, quia omnis efficientia terminatur ad esse actuale ejus rei, quæ producitur. Finis verò dum movet efficientem, & propriam exercet causalitatem, non habet existentiam actualem, sed saltem in potentia, quæ sufficit, ut sit actu causa finalis, realis & physica; Quamvis non  
suf-



sufficiat, ut aliquid sit causa efficiens, materialis, aut formalis, quia secundum modum causandi, requiritur modus essendi cause.

### Thef. VIII.

Cæterum causalitas finis exercenda requirit in primis tria. 1. Subjectum, quod est res ea, quæ finis rationem exercere potest. Eaque non potest esse, non-ens, malum, ens incognitum, medium quæ tale: sed res, quæ boni cogniti rationem habet, ad quam consequendam alia diriguntur. 2. Fundamentum, seu principium, quod aliàs ratio causandi nominatur, & est bonitas, aut convenientia rei. 3. Ratio fundandi, seu conditio, ut à quibusdam dicitur, quæ præcognitio finis, & quidem intellectualis, eaque non tantum speculativa, sed etiam practica; Quæ tamen non est necessaria respectu cujusvis concurrentis ad agendum, sed sufficit, si quoddam concurrentis præcognoscit, ut in agentibus purè naturalibus, attendendo primam causam. De quibus sigillatim pluribus hinc inde Metaphysici tractant.

### Thef. IX.

Enodata definitione, distributionem subjungere ordo jubet. Prima autem esse potest illa, quæ Finis dispescitur in Finem & seu Cujus: Et Finem & seu Cui. Ille vulgò describitur, quod sit is, cujus adipiscendi gratiâ agens operatur. Hic verò is, cui finis cujus adoptatur, seu in cujus gratiam aliquid fit. Movet uterq; efficientem. Ille exstimulando & præscribendo agenti media; Hic media mensurando & ordinando. v.g. Medici finis & est sanitas, hanc enim appetit, hujus jam consequendæ gratiâ actionem si suscipit, ea ipsi, quænam media apta adhibeat, præscribit & determinat, ut: Si capiti sanitas sit acquirenda, apta quoque capiti, & non stomacho fortè conducentia medicamenta.

B

præ.



præparabit. Finis verò Medici est ægrotus: hic enim ad adoptandam sibi sanitatem Medicum movet, eiq; pro temperamento & ratione facultatum suarum medicamina mensurat, & ordinat, ut: Si ægrotus sit fortis, fortia adhibere pharmaca Medicus teneatur: Si dives, pretiosa. Ex his nunc conspicuum redditur, quod uterque finis veram causalitatem exercent, & sic verè finis seu causa finalis sit.

### Thef. X.

Finis Unus est formalis, alter objectivus. Formalis est operatio, per quam consequimur aliud objectum, aut notitiam ejus. Finis objectivus est objectum ipsum, cujus notitiam assequimur. Conimbricenses in Ethic. disput. 2. quæst. 2. art. 2. Definiunt finem objectivum, quod sit is, qui ab agente possidendus est; Finis autem formalis est modus, quo objectivus possidetur. Objectivus verò dicitur, quia coincidit cum objecto, ad quod agens refert & terminat suam actionem: Formalis dicitur, quia est forma vel motus, vel ratio, secundum quam agens cum isto objecto unitur. Ita Deus clarè à nobis visus, est finis noster objectivus; Clara autem visio Dei, ipsa vocatur finis formalis, vid. Ruvium lib. 2. Physic. Tractatu 4. ubi agit de causa finali. Solet autem finis objectivus alio nomine dici finis *qui*: & finis formalis finis *quo*.

### Thef. XI.

Sequitur tertia, quâ dividitur finis in finem *per se* & *per accidens*. Ille communiter notatur, quod sit is, qui ab agente intenditur secundum naturam & constitutionem, cujusque rei. Hic qui ab agente aliunde assumitur. Hic notandum, terminos *per se* & *per accidens*, non sumi respectu agentis, sed respectu rei finitæ, sive ejus rei, ad quem finis pertinet. Et sic finis, monente Dn. Scheibl. Metaph. l. 1. c. 22. rei alicui finitæ congruens, ex natura & constitutione

tionem



tione illius, et finis per se; Qui autem aliunde illi advenit, hoc est, non ex natura sua, sed extrinseca destinatione, quam fortean hic vel ille agens intendat, ille finis est isti rei finitæ per accidens. E. G. Finis per se vestimentorum est, ut tegant & operiant nuditatem nostram, ideò enim conficiuntur. Quod autem quis superbire iis intendat, is finis vestibus tantum accidit, quia præter naturam & constitutionem illarum est.

### Thef. XII.

Aristoteles lib. 1. Ethic. c. 1. & lib. 1. Magnorum Moralium ejusmodi finis divisionem affert, quod finis interdum sumatur pro operatione ipsa, interdum pro re, quæ ex operatione resultat, & per eam producitur. Operatio dicitur finis, si propter se intendatur, v. g. contemplatio est operatio quædam propter se expetibilis, quæ non intenditur propter alium finem, in quem necessario sit ordinanda, tanquam in rem permanentem post ipsam, licet extrinsecum finem habere possit, ut delectationem, vel aliquid aliud, & licet proprium terminum intrinsecum habeat in eodem intellectu, cujus proprius actus est, non tamen permanentem post ipsam, sed cum ea transeuntem: Finis verò qui est res seu opus ex operatione promanans, est e. gr. sanitas acquisita per curationem.

### Thef. XIII.

Huic divisioni affinis est illa, quam Aristoteles proponit c. 3. & 7. lib. 5. Metaph. ubi dicit: finem alium esse, qui fit per operationem; alium, qui operationi præsupponitur, hoc modo sanitas est finis factus per operationem; Finis verò propositus est homo sanabilis, cujus sanitas restituenda intenditur. De reliquis distinctionibus conferantur Autores Metaphysici, nos properamus ad Axiomata.

Axio-



## Axiomata.

I. *Omnis actio est propter finem.* Excipiendo, quando agens non intendit actionem, ut si quis attentè quid cogitans fricat barbam, aut rodit ungues, vel si quis intendens capere pisces, ex aqua aurum extrahit. Alias hoc  $\pi\acute{o}\epsilon\iota\sigma\mu\alpha$  in omnibus agentibus naturalibus invictam suam obtinet veritatem, quorum agentium tria genera constitui possunt, (1.) eorum, qui norunt finem, & proportionem mediorum ad finem consequendum, ut homines ratione fruentes, qui propriissimè propter finem agunt. (2.) animantium ratione carentium, quæ videlicet nec omnino norunt finem, nec tamen prorsus ignorant: Norunt finem, & media, non formaliter, sed materialiter: hoc est, norunt rem eam, quæ est finis, & eam rem, quæ est medium, sed non sub ratione medii aut finis, nec proportionem medii ad finem, quod est novisse ea materialiter, non formaliter. (3.) Eorum, quæ & ratione & sensu carent, ut arbores, lapides, corpora simplicia, &c. Finis quidem causa agunt, sed ipsum penitus ignorant, quem ut prosequantur, ab agente superiori diriguntur. Ut igitur natura agat propter finem, non est necesse, ut ipsa eam cognoscat, sed sufficit, ut dirigatur ab alio, qui eum novit.

II. *Propter quod unumquodq; appetitur, illud magis appetitur.* Fluit ex illo: propter quod unumquodq; tale est, illud magis tale est. Hoc  $\pi\acute{o}\epsilon\iota\sigma\mu\alpha$  quidam restringunt ad causam finalem, quod est contra mentem Aristotelis, qui ponens hanc maximam lib. i. post Analyt. c. 2. text. 15. argumentatur in genere causæ efficientis. Nos limitationes Verabilis Bedæ acceptabimus, dicit enim i. Necesse est, ut illud, in quo fit comparatio, utriq; comparabilium conveniat formaliter. Unde non valet, deambulat propter sanitatem, Ergo sanitas magis deambulat. Ebrius est propter  
vi-



vinum, Ergo vinum magis est ebrium. 2. Ut illud, in quo fit comparatio suscipiat magis & minus, unde non sequitur: Petrus est homo propter patrem. ergo Pater magis est homo. 3. Comparatio fiat in effectibus positivis non privativis, non enim sequitur: Propter Deum non diligit mundum, Ergo magis non diligit Deum. Insuper dicimus effectum illud Aristotelicum verum esse de causis primariis, & originalibus, non verò de secundariis & instrumentali- bus: Similiter quod verum sit, dummodo id quod fit per se fiat non per accidens! Exempla discursus suppeditabit.

III. *Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia,* Verum est de mediis necessariis & per se talibus, non verò de illis, quæ talia sunt per accidens. Nihil ergò concludunt Calviniani: Deus voluit finem, pœnam peccatorum & exinde gloriæ suæ manifestationem. Ergo & peccata, quæ sunt veluti media; Peccata enim per se non sunt media, sunt enim mala; finis verò bonus est: Fiunt autem media per accidens, quando per accidens diriguntur ab alio principio ad finem bonum, Ita Calovius in Metaphys. suâ divinâ. Dominus Dannenhawerus respondet negando, peccata esse media pœnæ, cum pœna sit finis terminationis, non verò causalitatis, nemo enim peccat, ut puniatur.

Additamentum seu Problema.

**An mundus sit interiturus secundum substantiam, an verò secundum qualitates? Affirm. prius.**

Ad Majorem gloriosi Jehovæ honorem.



**L** Autitias Finis cur promis Paufler amande ?  
Finis principium est cunctarum metaq; rerum,  
Dicitur ille bonum, atq; bonum quoq; finis habetur,  
Finem quis medium negat hocce fa vere cui vis  
Querenti; cunctis mediis nemo abnegat unquam  
Finem conciliare suam lautam bonitatem  
Isthaec nunc animo forti Pauflere volutas  
Prudenter sanè, ut medium valeas adipisci  
Mox verum, nec non optato fine fruisi  
Quod faciat caeli Moderator Trinus & Unus.

Singularis amoris ergo ponebat

M. Johannes Trostius.

---

*Ad Ornatisimum*

**Dn. Respondentem FINEM seu Cau-**  
sam finalem publicè ventilantem.

**F**inem qui cupit, is cupiat causantia Finem,  
Finem non cernet spernens praebentia Finem.  
Finem cum dulcem cupias attingere, Finem  
Finem sic repetens, repetis monstrantia Finem:  
Finem pervolvens, simul & vis tradere Finem,  
Finem credo tuum, quem gestis cernere. Finem,  
Finem ajo multi cupiunt, quaerunt modò Finem,  
Finem nempè bonum illicitis sibi sumere. Finem,  
Finem sic sperant frustra sibi quaerere: Finem,  
Finem persuadent, nequeunt ad tangere Finem,  
Finem



Finem quisq; volet, velit adducentia Finem,  
Finem quaeq; ferunt secum, capiet quoq; Finem.  
Finem tractanti det Numen cernere Finem,  
Finem corde sua gnava, ac cum tempore Finem,  
Finem nempè meum, quem quero tangere Finem!

Oder:

1.

**S**orgesehten Zwegg erreichen  
Mit recht-festgehoffter Hand/  
Und der Arbeits-Last entweichen/  
Ist ein viehscher Unverstand:  
Nur durch Fleiß mag auff der Erden  
Unser Zwegg erhalten werden.

2.

Weil / O Freund der Pierinnen /  
Ihm auch solches war bewußt /  
Hat Er das Haus seiner Sinnen  
Eingeräumt der Pallas-Lust /  
Seinen Zwegg zu überkommen /  
Mittel für die Hand genommen.

3.

Wil durch fleißigs überlegen  
Eines ENDES / seinen Zwegg  
Zeigen / dann auch gehn entgegen  
Denen / so auff bösem Weg /  
Wollen ihren Zwegg erreichen  
Und in Wollust einherschleichen.

4. Wer



4.  
Wer will reife Früchte essen/  
Muß den unverdroßnen Fleiß  
Bauens / pflanzens nicht vergessen:  
Wer von keiner Arbeit weiß/  
Weiß von keiner Frucht zu sagen/  
Sondern muß sich stets beklagen.

5.  
Er / der Höchste / woll belegen/  
Mein Herz PAUSEN / seinen Fleiß/  
Mit Gedenken / Hehl und Segen/  
Daß Er endlich auch den Preis  
Seiner Mühe mag erlangen /  
Seinen Zweg mit Freud empfangen.

6.  
Dieser Fleiß / den Er bewiesen/  
In dem Er das END ergründt/  
Müsse bleiben stets gepriesen:  
Auch daß meine Musa find  
Ihren Zweg / worauff sie gehet/  
(Wünsch ich) wann die Zeit entsiehet!

Christoff Schönefeld:

